



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Svcqv̄et E Societate Iesv Via Vitæ Æternæ

Sucquet, Antoine

Antverpiae, 1630

Alia ex D. Thomâ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54856)

Examen.

ta quòd illi qui sunt in paradiso, carent eis: similiter cum habes aliquas consolationes, cogita illos de inferno carere eis. Omni die cum vadis cubitum examina diligenter quid cogitasti, & quid dixisti in die, & quomodo utile tempus, & spatium quod datum est ad acquirendam vitam æternam, dispensasti: & si benè transivisti, lauda Deum, si malè, vel negligenter, lugeas, & sequenti die non differas confiteri. Si aliquid cogitasti, dixisti, vel fecisti, quod tuam conscientiam multum remordeat, non comedas antequam confitearis. Istud in fine pono, ut imagineris duas civitates, unam plenam omnibus tormentis, quæ est infernus; alteram plenam omni consolatione, quæ est paradysus; & ad unam illarum oportet te currere. Vide quid te possit trahere ad malum, vel impedire à bono: credo, quòd nihil invenies. Certus sum, quòd, si benè servaveris ea, quæ sunt hic, Spiritus sanctus habitabit in te, & perfectè docebit te facere omnia. Ergo bene serves ista, & nihil negligas, & lege ea in septimanâ bis, scilicet in die Mercurij, & in die Sabbati, & ut inveneris te fecisse quod scriptum est; lauda Deum; qui est pius & misericors in sæcula sæculorum. Amen.

Dua civitates ad quas homines tendunt.

Epistola cohortatoria Sancti Thomæ ad quemdam, in quâ proponit idoneum modum salubriter acquirendi scientiam, sive humanam, sive divinam.

*Custodi-
oris, &c.*

QVIA quæstisti à me, in Christo mihi clarissime, qualiter te studere oporteat in thesauro scientiæ acquirendo; tale à me tibi super hoc traditur consilium, ut per rivulos non statim in mare eligas introire, quia per faciliora ad difficiliora oportet devenire. Hæc est ergo monitio mea, & instructio tua. Tardiloquum te esse jubeo, & tardè ad locutorium adscendentem: conscientiæ puritatem amplectere, orationi vacare non desinas: cellam frequenter diligas, si vis in cellam vinariam introduci. Omnibus te amabilem exhibe, nihil quære penitus de factis aliorum, nemini te multum familiarem ostendas: quia nimia familiaritas parit contemptum, & subtractionis à studio materiam subministrat. De verbis & factis sæcularium nullatenus te intromittas. Discursus super omnia fugias. Sanctorum & bonorum imitari vestigia

gia non omittas: non respicias à quo audias, sed quidquid boni dicatur memoriae recommenda. Ea quæ agis & audis, fac ut intelligas, de dubiis te certifies; & quidquid poteris in armariolo mentis reponere satage, sicut cupiens vas implere. Altiora te ne quæsieris. Illa sequens vestigia, frondes & fructus in vineam Domini Sabbaoth utiles, quamdiu vitam vixeris, proferes ac produces. Hæc si sectatus fueris, ad id attingere poteris, quod affectas.

